

DISPUTATIO ARISTO-  
TELICA 1596 1

DE SVBSTAN-  
TIA ET ACCIDENTE  
EX METAPHYSICIS PO-

*tissimum desumpta, & in alma Viteber-  
gensium Academia publice  
proposita*

*a*  
M. ELIAEHINGERO Augustano.

Respondente

IOHANNEHONTERO  
Coronense Transylvano.

*Erit Disputatio ad diem XIV. Februarij in auditorio  
maiori Collegij no vi, horis matutinis.*

WITEBERGÆ

Literis Wolfgangi Meisneri, cl. b. IVC.



REVERENDO,  
PIETATE, DOCTRINA  
ATQVE AVTORITATE  
*Clarissimo viro, Dn. SIMONI MASSÆ,  
Ecclesiæ Coronensis in Transsylvania  
Pastori dignissimo, atq; Diœceseos Bar-  
censis Decano spectatissimo:*

Nec non

REVERENDO, CLARISSIMO  
& Doctissimo viro, Dn. CORNELIO  
HONTERO, Pastori Ecclesiæ Præs-  
mariensis in Barcia vigi-  
lantissimo.

*Dominis Patronis & Mecœnatibus perpetua  
observantia colendis, Philosophicam  
hanc *αὐτῶν* merito offert  
& consecrat.*

JOHANNES HONTERVS  
*Coronensis Transylvanus.*

THESES DE SVBSTAN-  
TIA ET ACCIDENTE,

I.



VERISSIMA EST A-  
ristotelis sententia: ἀσπί τῆς  
ἀληθείας θεωρία ἢ μὲν χαλεπή, ἢ  
δέ ῥαδία. Veritatis contem-  
platio partim difficilis est,  
partim facilis. Ut igitur  
difficultas NOBIS faci-  
lis apparere queat, scien-  
tiarum Reginam maxi-  
moperè observemus.

Metaphys.  
l. 2. c. 1.

II.

Quidam enim Veritatem, quæ, teste Scaligero,  
est orationis adæqvatio cum ipsis speciebus, existi-  
mant inventu esse facilissimam: quidam verò cum De-  
mocrito asserere non erubescunt, ἐν τῷ βάθει εἶναι τὴν ἀ-  
λήθειαν, in profundo Veritatem absconditam latere; &  
nunquam contingere, ut aliquis saltem veritatis gu-  
stus ad nos perveniat: quapropter & firmiter illius  
asseclæ contendunt, Veritatem investigare esse volu-  
ces persequi, quorum opinionem Philosophus suffi-  
cienter refutat.

Scaligerus  
Bxerc. 2.

Metaphys.  
l. 1. c. 5.

III.

Quid nobis faciendum? qua via incedendum?  
Nos Veritatem difficilem quidem concedimus, im-  
possibilem verò inventu pernegamus, nec omnibus

In propatulo vigere contendimus, scientes, difficultatis causam duplicem assignari & posse & debere.

IV.

Aut enim res natura sua ita sunt dispositæ & ordinatæ, ut nolint à nobis cognosci, ut veritatem illis inhærentem effundere & communicare reculent: aut difficultas eandem exactè prostantem investigandi, in nobis residet, nobisq; vitio vertitur, quemadmodum Aristoteles luculenter testatur, inqviens: τὰ πράγματα κακῶς οὐ βόλονται πολυεύεσθαι: res nolunt malè administrari; cupiunt cognosci, summo desiderio flagrant, ut pulchritudinem, ἁρμονίαν aut repugnantiam ostendant, modo adsint, qui animo comto, modoq; prompto venustatem illarum admirentur & excipiant: DEUS enim & Natura nihil frustra fecere.

Metaphys.  
l. 2. c. 1.

V.

Et certè rebus aliquid de bonitate naturæ decederet, nisi veritatem omnibus confirmare cuperent: τὸ ἔστι ἀγαθὸν ἴδιον τὸ γνωρίζεσθαι; Boni namque proprium, ut cognoscatur, ut habet Mercurij magna clavis. Nunquam igitur Veritati, cur in principio tam aspernabilis appareat, sed nobis adscribendum.

Trismegistus.

VI.

Nam uti Nycticoracis oculus ad meridianum splendorem perspicendum non est idoneus: ita intellectus noster ad veritatis inquisitionem se habet; nec aliter. Postquam autem aliquam saltem Veritatis cognitionem haufimus, arripuimus, didicimus, quis amplius aberrabit à janua? ut habet Philosophus? quis se se à via, qua rectè incedere cœpit, in Labyrinthos Fallitatis inconstantissime abduci patietur?

Aristot. in  
Metaphys.

Metaphys.  
l. 2. c. 1.

VII.

Cum

Cum igitur cum Aristotele asseveremus, τὸ ἀληθὲς ἢ ψεῦδος ἐπὶ τῶν πραγμάτων εἶναι, veritatem & falsitatem in rebus esse, subjective: καὶ τὸ ἀληθὲς ἢ τὸ ψεῦδος (eodem teste) οὐκ εἶναι ἐν τοῖς πράγμασι, ἀλλ' ἐν τῇ διανοίᾳ, verum & falsum non esse in rebus, sed in mente, Abstractive: nos Philosophi methodum servantes Prædicamentorum naturam & seriem παχυμερῶς de libabimus.

Metaphys. 1. 9. c. 10. τὸ ἀληθὲς οὐκ ἔστι παρὰ τὰ πράγματα. Metaphys. 1. 6. c. 3.

VIII.

Sunt ergo Categoriæ ordinatio & descriptio categorematum cognatorum per generalissima, subalterna & specialissima. Suntque decem. Substantia, Quantitas, Qualitas, Relatio, Actio, Passio, Ubi vel Locus, Quando seu Tempus, Situs & Habitus, Ens n. omne, aut nō prædicatur aut prædicatur. Quod nō prædicatur de alio, est Substantia Prima. Quod prædicatur de alio, dicitur vel de subiecto, vel est in subiecto, vel tanquam extra subiectum. Quod de subiecto quidem dicitur, sed in subiecto non est ut accidens, appellatur Substantia secunda, & universalis. Quod in subiecto est, vel simpliciter, vel non simpliciter: simpliciter inest, sequiturque vel materiam, ut Quantitas: vel formam, ut Qualitas. Non simpliciter, & appellatur Relatio. Quæ tanquam extra subiectum esse dicuntur, aut quodammodo, aut Simpliciter: πῶς, ut qualitas Dans, qualis est Actio; vel Recipiens, ut Passio. Quæ quali simpliciter extra subiectum esse dicuntur, ἢ τὸ πρὸς τις περι τὸ πᾶσιν, ἢ πρὸς τι, sunt quidam modus vel circa Quantum, vel Ad-aliquid. Quæ circa Quantum est, vel positionem habent, ut Locus: vel non habet, ut Tempus, τὸ πρὸς τι est duplex, οὐσιώδες, & ἐπίκτητον, essentialis & acquiritum: οὐσιώδες ἢ τὸ κενὸν εἶναι, ditum esse: ἐπίκτητον autem, τὸ ἔχειν, Habere.

A modo Prædicandi.

1.

2.

3.

4.

5.

6.

7.

8.

9.

A 3

Deinde



Simplicius  
de Categoriis

IX.

Deinde 10. esse Prædicamenta Architas causam aperit, quam Simplicius his verbis narrat. τέχνη γὰρ πάντα, φησὶ, τεταγμένον εἶναι ἢ ὀρισμένον πρᾶγμα. τόδε τοῖσιν ἐν ἀριθμῷ ὀρίζεται. τόδε σύμπαντα ἀριθμῶν δεκάδας εἶναι καὶ εἰκότως ἄρα τὰ πάντα εἰς δεκάδας ἰσθῆναι, καὶ τὰ εἶδη πάντα δεκάς εἶναι. καὶ τοὺς ἀριθμοὺς πάντας δεκάς ὑπάρχειν. Omnem enim artem & scientiam, dicit, ordinatum quidpiam esse, & rem definitam: quod autem huiusmodi est, id numero definiri: at omnem numerum denarios esse. Itaque & convenienter omnia in decem esse divisa, & omnes species decem esse, & speciales numeros decem existere.

X.

Antequam ad Substantiæ definitionem progrediamur, videndum prius, utrum τὸ ὄν Ens æquivocè de Substantia & Accidentibus prædicetur? Aristoteles expressissimis verbis negat & verè etiam negat: sic enim in divina Philosophia loquitur. τόδε ὄν λέγεται μὲν πολλαχῶς, ἀλλὰ πρὸς ἓν, καὶ μίαν ἕνα φύσιν, οὐχ ὁμωνύμως. Ens autem multipliciter quidem dicitur, verum ad unum, unamque, quandam naturam ET NON ÆQUIVOCE.

XI.

Præterea Homonymorum definitio repugnat: Æquivoca enim dicuntur, quibus solum nomen est commune; ad illud vero nomen accommodata definitio est diversa, iam autem non est alia definitio Substantiæ & Accidentis, quatenus nimirum utrumque est ὄν: æque enim accidens subsistit, ac substantia. i. æque habet ὑπαρξιν ac οὐσίαν. Illud tantum est discriminis, substantiam esse ὄν per se, accidens autem esse ὄν propter substantiam: At illud PER SE, & PER ALIUD

Metaph. 1. 4.  
c. 2. & Meta-  
phys. 1. 7. c.  
4. idem affir-  
mat, τὸ ὄν  
non dici  
æquivocè.  
Ἄφ' ΕΝΟΣ  
ΚΑΙ ΠΡΟΣ  
ΕΝ.  
Aristoteles in  
ante prædi-  
camentis c. 1.



LIUD adjunctum tantummodo est τὸ ὄν, & ejus tantum aliquis modus.

### XII.

Quocirca idem modus hic non requiritur ad rationem τὸ ὄν, quatenus nimirum est ὁρ: spectamus enim hic primum gradum τὸ ὄν, qui est τὸ εἶναι: nondum descendimus ad differentias, quas ὁρ illud habere potest suis in speciebus. Itaque etiam modus hic in definitione τὸ ὄν minimè comprehenditur.

### XIII.

τὸ ὁρ ita definitur, ὅτι ὁρ ὁ παρῆς, cujus est realis existentia: non audimus vel PER SE, vel PER ACCIDENTENS: quin immò nec audire debemus: quia quàm primum alterutrum horum adderetur, plus definiretur, quàm quæreretur. Si enim τὸ Per se attexeretur, non amplius τὸ ὁρ ἢ ὁρ definiretur, sed substantia jam esset definita: Substantia autem angustior est Ente.

### XIV.

Si τὸ PER ALIUD, definiretur Accidens: at ipsum quoque Accidens angustioris naturæ est, quàm ipsum ὁρ ἢ ὁρ. At nec quærimus de definitione vel Substantiæ vel Accidentis, sed de definitione τὸ ἀπλῶς ὄν, seu quid sit Ens primò vel purè. Quod quidem si ita definiatur, ut debet, nihil peculiare habet, unde ipsa substantia neque accidentia quoque ex censu τὸ ὄν τωρ eximantur.

### XV.

Cum igitur Ens ex Aristotelis sententia ἓν μίαν ἕνα φύσιν, & non æquivocè de Substantia & Accidentibus dicatur, sequitur Substantiam & Accidens esse duas species Entis.

Quare

XVI.

D. Philip.  
Dial. lib. 1o

Quare Substantia est ENS, quod per se subsistit :  
seu ut Dn. Philippus definit : Substantia est ENS,  
quod revera proprium esse habet, nec est in alio, ut  
habens esse a subiecto. Licet enim substantia quæ-  
dam alteri insit ; non ita tamen inest, ut accidens sub-  
iecto, verum ut pars toti seu συνικονία cōprehendenti,  
ut habet Scholasticorum axioma.

Lambertus  
de Monte in  
lib. 1. de Axi-  
oma.

XVII.

ἡ μὲν οὖν οὐσία  
ἐστὶν ἡ οὐσία

Genus substantiæ dicimus esse ENS, uti & Dn.  
Philippus statuit. Nam licet quidam inferant, Sub-  
stantiam tanquam genus summum non posse defini-  
re deinde, substantiam habere quidem differentiam,  
quâ ab omnibus alijs accidentibus sit separata & di-  
creta : certum tamen est, nihil impedire, quò minus  
una & eadem res possit esse genus supremum & me-  
dium, ratione collocationis in arbore : ut Habitus  
respectu inferiorum potest esse genus summum : si au-  
tem cum Qualitate conferatur, tum generis mediij  
habuerit rationem. Eadem est ratio de Substantia,  
si cum Ente, quod secundum unam naturam prædi-  
catur, ut dictum est, conferatur.

XVIII.

Metaphys.  
lib. 10. c. 4.

Relata sunt  
simul τῆ φύσε  
Arist. Categ.  
6. 7.

Ad posterius ipse Aristoteles in divina Sapien-  
tia respondet, hoc modo. λέγει δὲ οὐσία, ὅτι καὶ τὰ ἕω τὸ ἕως  
οὐκ ἔστι διαφορὰ. Ostentum est, quod eorum, quæ extra  
genus sunt, non sit differentia. Si igitur Substantia  
genere careret, tum res comprehensa esset sine com-  
prehendente, & relatum aliquod sine correlato, quod  
ἀνεγὼρδ' ἰόντων. Præterea si substantia careret genere, u-  
tiq; etiam differentia (quam tamen habere dicunt)  
quia sunt Relata : relatorum autem unum absq; alte-  
ro,

ro, nec esse nec subsistere potest, cum sint ἅμα τῆ φύσε, Philosopho teste.

### XIX.

Cuiusque igitur differentia inest, illud ex Aristotelis sententia, genus etiam habet. At ex quorundam opinione substantiæ differentia inest. Ergo substantia genere quoque est instructa.

### XX.

Differentia vel forma Substantiæ est **PER SE** subsistere: vel ut subtilis Doctor explicat, τὸ subsistere extra suam causam efficientem; aut in subiecto non esse veluti accidens.

### XXI.

Substantia autem Aristoteli in divina Scientia est triplex: οὐσία δὲ τρεῖς. ἡ μὲν ὕλη, τὸ δὲ οὐσα τὸ φαίνεσθαι, ἡ δὲ ἔξις ἢ ἔσις, καὶ μὴ συμφύση. ὕλη δὲ ὑποκείμενον. ἡ δὲ φύσις, καὶ τὸ δὲ εἶναι, εἰς ἣν καὶ ἔξις ἔσις. ἢ τρίτη ἢ ἐκείνη, ἢ καθέκαστα, οἷον ζωὴ κράτης, ἢ καρδίας. Substantiæ verò tres: quædam **MATERIA**, quæ quod quid est eo ipso, quod apparet: quæcunq; enim tactu non coadhærentia sunt, materia & subiectum sunt. Quædam verò **NATURA**, & quod quid, & quidam habitus ad quem. Tertia item, quæ ex his, quæ singularis est, ut Socrates, aut Calias.

### XXII.

Eandem divisionem Philosophus etiam alibi retinuit, his verbis: Dicitur autem sicuti subiectum substantia esse, & quod quid erat esse, & quod ex his, & universale. Quamvis etiam adjungat Universale, quod nihil aliud est, quàm secundæ substantiæ, Genera & Species, quæ de subiecto quidem dicuntur, sed in subiecto non sunt. Compositum Philosophus appellat singularem seu primam substantiam, quæ

Metaphys. 1  
l. 5. c. 1.

Duns Scotus

Metaphys. 1  
lib. 12. c. 9.  
Metaphys.  
l. 7. c. 10.  
ut & de Anima.  
Materia.

Forma.

Compositum.

Metaphys.  
l. 7. c. 13.

B

quæ

Analyt. Poster. l. 1. c. 27.

quæ neq; in subjecto est, neque de subjecto dicitur καθόλου, ἢ σαωωνύμως, ἀλλὰ καὶ ἐν δόξῃ καὶ συμβεβηκώς, quemadmodum hoc Aristoteles ipse eleganter demonstrat.

XXIII.

Universalia utrum sint substantiæ.

Metaphys. l. 5. c. 9. Metaphys. l. 6. c. 3.

Licet autem quidam Universalia substantias simpliciter non esse contendant: nos tamen rationis dictamen sequentes, cum Aristotele modo quodam esse affirmamus: Sic enim habet in divina sapientia: Universalia namq; per se existunt; accidentia verò non per se: Ergo sunt substantiæ. Nos autem Universalia non περιτρίσματᾶ statuimus, sed vera entia in singularibus existentia, uti Philosophus ipse loquitur in Theologia: οὐ τῷ γὰρ λέγομεν τὸ καθέκαστον τῷ ἀριθμῷ ὅτι ἐστὶν καθόλου, ἀλλὰ τὸ ἐπὶ τῶν τῶν. Ita enim singulare dicimus, quod unum numero est; universale verò quod in his.

Metaphys. l. 4. c. 4.

XXIV.

Metaphys. lib. 7. c. 10.

Et alibi hoc ipsum docuit: Homo verò & equus, & quæ ita se habent, in singularibus sunt. τὸ γὰρ καθόλου, ait Philosophus in Posterioribus, οὐκ ἔστι πᾶσι τὰ πράγματα: universale non est præter res,

Analyt. Poster. l. 1. c. 12.

XXV.

Metaphys. l. 7. c. 16.

Constantiam Aristotelis ubiq; videmus, præsertim verò hoc in negotio dicens: ὡσεὶ δὲ ἄλλοι, ὅτι οὐδὲν ἐστὶ καθόλου ὑπάρχον πρὸς τὰ καθέκαστα χωρὶς. Quare patet, quod nihil Universalium separatim præter singularia est. Unde Aristoteles in divina Sapientia concludit: at tertius homo (qui existat præter singulares & speciem) non est, nec equus præter ipsum & particulares. Quare universalia aut posteriora singularibus, ut ait Philosophus contra Xenocraticos.

Metaphys. l. 11. c. 1.

De Anima l. 3. c. 8.

XXVI.

Sunt ergo Substantiæ aut simplices, aut compositiæ:

firæ: simplices seu incompletæ, ut eas quidam vo-  
cant, ut Materia & Forma: composita est τὸ δὲ.

XXVII.

Materia dum substantia existit, est insuper quo-  
que principium, quod subjacet formæ suscipiendæ.  
Est enim illa ex nulla alia re præjacentē, neq; etiam  
ex forma originem ducit, sed ex qua omnia sequen-  
tia, & ab eadem dependentia, producuntur.

MATERIA.  
Metaphys.  
I. I. c. 7.  
Metaphy. I. 7.  
c. 7. & c. 9.  
Metaphys.  
L. 9. c. 10.

XXVIII.

Materia dupliciter consideratur, aut ἢ ἀφορέσειως,  
aut ἐκ προσθέσειως: hoc modo est considerationis Physi-  
cæ, qua substratam habet materiam mobilem, ceu  
corpus naturale; qua ratiōne hīc non consideratur:  
illo verò modo eam sibi prima Philosophia vindicat,  
dum simplicissimè absq; ulla formæ secundæ impres-  
sione eam considerat. Et hoc sensu Aristoteles in di-  
vina Philosophia asseveravit: λέγω δ' ἕλην, ἢ καθ' αὐτὴν  
μηδὲ τι, μήτε ποσοῦν, μήτε ἄλλο μηδ' ἐν λέγεσθαι, οἷς ὄρισον τὸ ὄν. Dico  
autem Materiam, quæ per seipsam neq; quid, neq;  
quantum, neq; aliquid aliud quidpiam dicitur, qui-  
bus Ens determinatur.

Metaphys.  
I. II. c. 7.  
Phys. I. 2. c. 2.

Metaphys.  
I. 7. c. 7.

XXIX.

Licet enim Materia non sit Forma, non sit to-  
tum compositum, tamen dicitur carere forma, ἄμορ-  
φον, ἀποιον, ἀποσον, sine qualitate, sine quantitate suo  
modo & respectu. Nam materia dupliciter conside-  
rari potest, aut in se, respectu suæ naturæ, aut respec-  
tu alterius. Si materia respectu hujus aut illius formæ  
recipiendæ consideratur, tum non est ens determi-  
natum, sed νόθον λογισμῶν spuria ratiocinatione confide-  
randa. Sin autem in se, est aliquid certi, ens distin-  
ctum ab omnibus alijs, οὕτως αὐτὴ πρὸς οὐσίαν ἕχον, καὶ τὸ δὲ  
τι, καὶ τὸ ὄν.

Timæus Loes-  
de Mundi A-  
nima.  
Phys. I. I. c. 7.

B 2

Eadem

XXX.

Metaphys.  
l. 8. c. 1.

Eadem ratione intelligendum est, quod Aristoteles in divina Sapientia hisce verbis proposuit ἕλως δὲ λέγω, ἢ μὴ τὸ δ' εἶναι οὐσα ενεργεία, δυνάμει ἔστι τὸ δ' εἶναι. Materiam autem dico, quæ cum non quod quid actu sit, potentia est quod quid. Potentia enim tantum appellatur, quod hanc vel illam formam possit suscipere, & quod varias possit sustinere mutationes salva tamen ipsius substantia. In corruptione enim materia non perit, aut in nihilum redigitur, sed subinde novam acquirit formam, & propter istam incertitudinem formarum, qua sibi de alicujus duratione polliceri nequit, dicitur ὅμ δυνάμει.

XXXI.

Metaphys.  
l. 9. c. 8.

Hanc sententiam Aristoteles quoque approbat, quando inquit : ἡ οὐκ ἔστι δυνάμει, ὅτι ἔλθοι ἄρ' εἰς τὸ εἶδ' ὅτι δ' εἶναι ενεργεία ἢ, τό τε εἶναι τὸ εἶδ' εἶναι. Materia est potentia, quia progredi potest ad formam (aliquam secundam suscipiendam) cum verò actu est, tunc in specie est.

XXXII.

Metaphys.  
l. 1. c. 3.  
ἄρ' εἶδ' οὐκ ἔστι  
E. Materia  
habet suam  
formam.

Huic interpretationi omnes ferè adstipulantur, præsertim verò Philosophus, inquiens : plurimi illorum, qui jam olim sunt Philosophati opinati sunt, omnium principia esse tantum in formâ Materiæ : namque ex ea sunt omnia, quæ sunt, & ex qua fiunt primum, & inquam corrumpuntur ultimum, τῆς μὲν οὐσίας ὑπομωδῶς, τοῖς δ' εἰ πάθοι μεταβαλλῶς; ita nimirum ut essentia maneat, quæ tamen affectionibus mutetur : illud elementum & hoc principium ajunt esse omnium rerum.

Plotinus En-  
nead 3. lib. 6.  
cap. 11. pag.  
313.

XXXIII.

Et quamvis Aristoteles veteres reprehenderit, ipsos tamen per omnia non correxit, sed tantum in his

his, quod ex Materiâ solâ entia omnia dixerunt esse constituta, & quidem ex materia non prima, sed secunda, quam Thales Aquam, Diogenes Aëream, Hip-  
pasus Ignem, Hesiodus Chaos, Empedocles Amicitiam & Inimicitiam, Democritus & Leucippus Plenum & Vacuum, Pythagorei Numeros constituerunt.

Metaphy. l. 1.  
c. 3. & seq.

#### XXXIV.

Si enim dum Philosophus veteres in hoc reprehendit, per omnia improbasset (improbavit autem ideo, quia ex materia secunda eaq; sola entia constituta esse asseverabant) sequeretur, nec Scholasticorum doctrinam defendi posse, dum dicunt in Physicis corruptionibus materiam non destrui, aut in nihilum redigi, (quia nihil materialiter in mundo pereat) dum creberrimas etiam mutationes experitur. Aristoteles igitur verè, materiam potentiam esse, mirè se in corruptionibus habentem, statuit. At defendi potest. Ergo.

Schol. Lamb.  
de Monte.

#### XXXV.

Unde Scaligeri hac in re probamus sententiam; qui ita loquitur. Non est ergo Materia in potentia ad suum Esse, quod ipsa sibi est per suam essentiam, sed ad esse hoc tale, quod est ab alio. Idem alibi hoc habet: Materia verò prima tametsi est potentia pura, ut fiat elementum: Tamen ipsa quoq; ut ens quiddam est ab alijs separatum: ἡ γὰρ ὕλη μέρος; materia namq; est pars compositi, inquit Philosophus.

Exer. 17.

Idem Exerc.  
359. Sect. 12.

Metaph. l. 7.  
c. 7.

#### XXXVI.

Pronunciatum hoc; quod Materia differat ab omnibus, nobis suggestit Aristoteles in divina Philosophia: Materia prima, inquiens, est tanquam quod quid & substantia: hoc enim universale & SUBIECTUM DIFFERT eò quod est quod quid

Metaphys.  
l. 9, c. 7.

B 3

esse,

esse, aut non esse. Tūm etiam quia aliquam actionem  
habet in producendo effecto, licet non tam efficacem,  
quam Forma: nisi enim aliquo modo ageret, non es-  
set unum ē principijs. Etenim forma id agit, ut ma-  
teria sit hoc aliquid: Materia videtur agere, ut forma  
habeat locum subsistendi.

Scalliger exer.  
307. Sect. 27.  
Marsilius Fic.

### XXXVII.

Inter principia etiam Forma numeratur, quæ  
differt: ut inquit Aristoteles in divina Philosophia: *ἡ οὐσία ὅτι τὸ εἶδος τὸ ἐνὸν, ἢ ὅτι ἢ τῆς ὕλης ἢ συνολοῦ λέγειται οὐσία*:  
Forma est illa substantia inhærens, ex qua & ex ma-  
teria universa essentia dicitur.

FORMA.  
Metaphys.  
l. 7. c. 11.

### XXXVIII.

Formæ enim est informare, quod Aristoteles per  
*τὸ ἐνὸν* inesse declarat: inest tamen materiæ non ut ac-  
cidens, sed ut *συνέχοντα*. Deinde ex materia sola, aut  
forma sola nihil constituitur, verum utraq; constitu-  
tionem absolutissimè juvant. Præterea forma consti-  
tuitur Substantia, quæ id, cui inequitat, essentialiter  
discriminat ab alijs omnibus; sic enim loquitur Ari-  
stoteles: actus namq; separat. At forma est *ἐνελίχου*,  
actus perfectus- E. Forma separat.

Metaphys.  
l. 7. c. 10.  
Interpr. Arist.

Metaphys.  
l. 7. c. 13.

### XXXIX.

Iam videndum, sed paucissimis, quis sit natalis ipsius  
Formæ, unde pendeat? si ab Accidente quodam For-  
mæ ingenium fuerit perfectum, accidentisq; naturam  
in se, ut principium retinuerit, haud dubie quoq; &  
Forma accidens erit: effectus enim nunquam supra  
suam causam ascendit. Sin verò Forma fuerit à sub-  
stantia producta, ita tamen ut substantiarum vires  
retinuerit, Formam esse substantiam, *οὐσιώδιστον*, asse-  
verabimus.

Forma



XL.

Forma igitur aut est EX SE & A SE, ut princi-  
pai esse oportet : aut erit aliunde.

XLI.

Si Forma sit aliunde, tum necesse est illam esse  
vel ex materia, vel ex alio, quod extra materiam.  
Neutrum verum. si enim Forma esset ex Materia ( ut  
statuit Patricius, inquiring : Materia enim causa est,  
ut Forma sit ; non autem Forma causa est, ut sit ma-  
teria. Materia actu est Materia ; Forma vero in ven-  
tre Materia in potentia est, &c. & postquam Forma de  
ventre Materiae extracta, in actu ipsa quoque est.) si  
inquam, Forma esset ex Materia, tum Forma mate-  
ria multo esset ignobilior, esset enim materiae effectum.  
Deinde deprehenderemus indistinctum (quale est ma-  
teria.) distincti, i. Formae esse causam, quod etiam ab-  
surdum. At Forma, qua forma, eam habet dignita-  
tem, quam nunquam Materia attingit, qua tantum  
est Materia. Tum etiam hoc potest addi, Formam a  
Philosopho vocari θεῖον, ἐπεὶ τὸν, τέλειον, ἀγαθόν. Divinum,  
desiderabile, perfectum & Bonum ; quod de Materia  
nunquam dicitur, cui attribuitur τὸ μεταβλητόν, τὸ εὐκίνητον,  
ipsum mutabile, & quod de suo statu facile praecipit-  
tari potest.

XLII.

Quidam contrariam tuentur sententiam. Patrici-  
us enim Formam esse a materia, contenderat : alij ma-  
teriam esse a Forma tenaciter propugnant. Neque ob  
id, inquit, dicendum est, Formam habere ex-  
istentiam a materia, sed potius, materiam habere ex-  
istentiam a forma : nam Forma domina quodammo-  
do est existentiae, & sola dat existentiam : materia ve-  
ro ministra quaedam, quae Formam sustinens illi fa-  
mulatur, ut existat.

At

F. Patricius  
discuss. Perie  
pat. pag. 134

Zabarella de  
constitutione  
Individ. cap.  
6.

Forma nō est  
ex materia,  
multo minus  
ex potentia  
materiae.

Plato in  
Phaedro.

Metaphys.  
I. 7. c. 3.  
Metaphys.  
II. 3. c. 3.

### XLIII.

At & hoc absurdum, Materiam esse à forma: ita enim olim Empedocles: — — πρῶτον δ' ἦ οὐδὲν ἔστι: primum est ex nullo: ita Aristoteles: Δὲ τὸς ἀρχὰς μήτ' ἦ ἀπάλωρ εἶναι; oportet, principia non ex se invicem esse. Ita Plato πρῶτον ἀρχῆν vocat ἀγέννητον, principium ingenitum. Principia enim se haud mutuò generant. Aut si principia essent ex se mutuò, essent tantum principia secundum quid: quia enim se mutuò parerent, eā non essent principia.

### XLIV.

Neq; Forma est aliunde quoq;. Si esset, esset aut ex alia forma, aut ex integra essentia. Neutrum est, non ex forma, quia non datur generatio Formarum. Non ex integra essentia, quia forma est simplicissimum quid, & ἀμείριστόν τι. Deinde si forma oritur, quid esse dicemus id, quod ipsam formam antecessit, eamq; in lucem extulit? Præterea si forma quædam ex alio decerperetur, caderet illud, formam esse ἀκωινώματόν τι, incommunicabile quidpiam: Communicaretur enim hoc modo. Daretur & illud absurdum, Formā sub ratione materiae consideratam, quæ fundat aliam formam factam, hoc ipso esse mancam, cum particula ejus quædam quasi deciderit. At forma, quamdiu forma est, est aliquid μάλιστα τέλειον. Etiam hoc absurdum contingeret, superfluum aliquid fuisse in Forma fundente, antequam illam Forma effudisset, at ἀδύνατον, quia ut in ea non est ἔκθεσις, ita neque ὑπερβολή, tam enim vitio esset obnoxia per hanc, quam per illam.

### XLV.

Quin Forma fusa forma haud esset, quia est prioris aut pars, aut prior toto. Non est tota, quia Forma

ma

ma fundens manet extante jam fusa. Neq; pars fundentis etiam est, quia ita non esset forma: Quandoquidem fundens forma per universum suum complexum est forma. Quocirca fusa forma de fundentis Forma hoc modo nihil decerpere potest, quin ipsam perimat totam. **E. FORMA AB ALIO NON EST**, sed est principium. Tantum de substantia & ejus speciebus.

### XLVI.

Accidens est Ens, quod potest adesse & abesse citra subjecti corruptionem. Non enim substantiæ dat aliquid, sed totum ut sit esseve possit, à substantia accipit, ideò accidentium esse est inesse. Esse Accidentia non ἐκ τῆς οὐσίας, sed οὐτως οὐσία, vera entia, ratio est, quia corrumpuntur: non-entia autem non possunt corrumpi. Deinde quia sunt ὀργανα & vestimenta substantiarum, & fulcra adjunctorum: sed comparative cum substantijs dici possunt ἕκτος οὐσίας.

ACCIDENS.  
Topi. 1. 4. c. 1.  
Topic. 1. 1. c. 5.

### XLVII.

Interim tamen cum Aristotele statuimus, Accidentia quædam definiri & sciri posse, verum non quatenus sunt accidentia, aut accidentia manent, sed quia sub speciei aut generis rationem veniunt .i. accidentium Universalium potest esse & definitio & scientia.

Metaphys.  
1. 1. c. 7. &  
Metaphys.  
1. 11. c. 1.

### XLVIII.

Si igitur Accidentia quædam definiuntur, per aliqua definiri necesse est: ex se ipsis enim definiri non possunt, cum nihil à semetipso pati possit, ut habet Aristoteles in divina sapientia: definiuntur autem ex genere & differentia, ut ait Philosophus. Componuntur ex materia suâ, & sibi convenienti forma. Iustitia sic est virtus suum cuiq; tribuendi. Quæ ergò habent  
genus

Met. 1. 9. c. 6.  
Met. 1. 7. c. 12.

1. genus, Ma quoque habent suam materiam. i. propria  
am. At accidentia quædam habent genus, ut justitia  
virtutem. Ergo, Accidentia quoq; habent suam ma-  
teriam SVBIECTIVAM, non eam, quam habent  
substantiæ.

X L I X.

Met. 10, c. 8.

Maiores est Aristotelis in prima Philosophia. τὸ  
δε γένος ἕλη, ὃ οὐ λέγεται γένος: Genus verò materia eius est,  
cujus genus dicitur. Differunt enim Genus & Materia  
non τῷ εἶναι sed τῷ λόγῳ, modo quodā: ὁ ὅγκος quippe est  
unus; qui si suo τῷ ὑποκειομένῳ referatur ad formam, est  
materia: si suo τῷ συλλαμβάνειν ad species, est genus.

Interp. Arist.

L.

Met. 1, 7, c. 4.

Deinde ait Aristoteles. Cum autem secundum  
cætera quoque prædicamenta composita sint: est e-  
nim aliquod subjectum cuique, ut qualitati & quan-  
titati, & quando, & ubi & motui.

L I.

Met. 1, 7, c. 10.

Præterea Aristoteles in prima Philosophia Ma-  
teriã ex qua dividit in sensibile & cogitabilem; cujus  
hæc sunt verba: ἕλη δὲ ἢ μὲν αἰσθητῆ, ἢ δὲ νοητῆ: sensibilis  
quidem ut æs & lignum, & quæcunq; mobilis mate-  
ria: intelligibilis verò, quæ in sensibilibus existit, non  
prout sensibilia, ut puta ipsa Mathematica. Sic igitur  
ex hoc loco argumentamur.

Met. 1, 8, c. 6.

Accidentia  
sunt finita.  
Finitum est  
quantum. E.  
& accidentia  
sunt Quanta.

Mathematica habent materiam.

Mathematica sunt accidentia. E.

Quædam accidentia habent materiam, sed suam,

.i. νοητῆ.

L I I.

Met. 1, 7, c. 7.

Tum etiam hoc confirmatur eadem ex sapientia  
Aristotelis. ἅπαντα τὰ γινόμενα ἢ φύσει, ἢ τέχνῃ ἔχου ἕλη: cun-  
cta quæ aut naturâ, aut arte fiunt, habent materiam. At  
accidentia quædam natura fiunt quædam arte. E. Ac-  
cidentia quædam habent materiam, i. νοητῆ. Confirmat  
hoc.

hoc etiam Scaliger: Hisce de causis, inquit, nobis  
ita videtur, accidentia omnia habere suam essentiam  
conflatam ex potentia & actu.

LIII.

Definita Essentia accidentium, sequitur ut species  
etiā *παχυμερῶς* examinentur. Quantitas est, secundum  
quam in partes quidpiam dividitur: est enim affectus,  
quo signatur amplitudo materiæ. Ubicunq; igitur ma-  
teria, ibi quoq; quantitas: & ubi quantitas, ibi etiam  
materia. Quantitas est duplex: discreta & continua.  
*ἡλικός* ait Aristoteles, τὸ διακετόν δυνάμει εἰς μὴ συνεχῆ. μέ-  
γεθος δὲ, τὸ εἰς συνεχῆ. Multitudo quæ potentia divisibilis  
est in non continua: magnitudo verò, quæ in cōtinua.  
Deinde Quanta alia sunt per se, alia secundum acci-  
dens: per se ut linea, superficies, &c. secundum ac-  
cidens, ut musicū & album, quantū; ut motus, & tem-  
pus (Locusq;): & hæc enim Quanta quædam & con-  
tinua dicuntur, eò quod ad illa divisibilia sunt, quorū  
hæc sunt passiones. LIV.

Qualitas est, quæ in re inest, & qualis ipsa sit com-  
monstrat: est enim consequens seu effectum formæ.  
Qualitatis species sunt 4. Habitus & dispositio: Natu-  
ralis Potentia & Impotentia: Patibilis qualitas &  
Passio: Figura & Forma.

LV.

Postquam ergo Essentia quæpiam partes essentia-  
les nacta est, tum instrumentis quibusdam ad futuram  
actionem est a rmanda & instruenda. Essentia enim in  
se habet semina Actionis & Passionis, quæ Potestas  
& voluntas: nuda enim inquit Proclus, inter actio-  
nem & essentiam potentia est, producta quippe ab es-  
sentia, actionem verò producens. Unde omnis actio  
est à viribus: vires ab essentia.

Exercit. 2<sup>o</sup> p. 96  
sect. 2.

QUANTI-  
TAS.

Met. I. 5. c. 1<sup>o</sup>

Idem eodem

QUALITAS  
est secundas  
ria perfectio.

Proclus & A-  
nima, & Dæ-  
monibus.

LVI.

δοτική.  
δυνάμεις

Est igitur **POTESTAS** instrumentum, quo essentia instructa aliquid agere vel pati potest: vel secundum Psellum: δύναμις ἢ ἀδυναμία ὅτι φυσικὴ ἢ ἐπιτηδεύουσα ἢ ἐνεπιτηδεύουσα πρὸς τὰ ποιῆν ἢ πάσχειν ἕκαστως. Hęcque est vel activa, vel passiva: illa mater est actionis: Hęc vero perfectionis est susceptaculum. Utraq; tamen est à materia. Activa est facultas conferendi aliquid patienti: Passiva autem est, qua aliquid ab agente recipit, quod antea non habebat: hanc olim Receptivam, illam Impressivam nuncuparunt.

LVII.

Metaphys.  
l. 9. c. 8.  
ἐκείνου καὶ  
ἐκείνου.

**VOLUNTAS** est alterum instrumentum, quo essentia instructa ad actionem aliquam obeundā est parata: duo enim sunt, quæ necessariò ad perficiendum actum desiderantur, voluntas & potestas simul. Voluntas hic in genere significat illam vim, secundum Aristotelem, qua res ruit aliquam ad perfectionem: seu est id, quo ad aliquid Forma tendit, quod nondum penes se habet.

LVIII.

RELATIO.

Metaphys.  
l. 12. c. 1.

Omniū Prædicamentorum difficilimum est prædicamentum Relationis, cum, ut quibusdam videretur, parum entis habeat, ut male quidam ex divina Aristotelis Philosophia collegerunt. Ibi enim Philosophus non nihil esse statuit, verum, eadem si cum cæteris Prædicamentis conferantur minus apparentem subsistendi modum habere, indicavit, quamvis revera omnium entium sint prima, suprema, καθόλου, ut alibi Aristoteles in Metaphys. declarat.

LIX.

Sunt ergo **RELATA**, quæ hoc ipso quosunt, ad aliud.

aliud se habent. Vel ut Platoniorum facile Cory-  
 phæus interpretatur, οἷς ἢ ὑπόστασις οὐδ' αὐτόθεν ἢ ἐκτὴς χέσειως  
 παραγίγνεται: quibus sua subsistentia non aliunde, quam  
 ex habitu ad aliud advenit: sunt. n. res duæ mutuò  
 reflexæ, & quæ mutuò intuitu se quasi efficiunt. De-  
 inde Relata sunt magis νοητά, magis causæ, omnia enim  
 sub se prædicamenta χέσει continent, Substantias &  
 Accidentia.

LX.

Ita Philosophus loquitur in divina Philosophia.  
 πάντα συντέτακται πῶς, ἀλλ' οὐχ ὁμοίως, καὶ πλωτὰ, καὶ πῆνᾶ, καὶ  
 φύτᾶ, καὶ οὐχ ὅλως ἕχθ. ὥσε μὴ εἶναι θάτερον πρὸς θάτερον μηδ' ἄλλ'  
 ὅτι τι. πρὸς μὲν γ' ἑρ' ἀπαντα συντέτακται. Cuncta autem  
 coordinata quodammodo sunt, verum non simili-  
 ter & natantia & volatilia & Plantæ. NEC ITA SE  
 HABENT, ut non sit ullum alteri ad alterum, sed  
 sunt ad quidpiam: ad unū namq; coordinata sunt om-  
 nia.

LXI.

Hoc dicit Philosophus, omnes res ad se invicem  
 esse ordinatas, hoc est omnia habere respectum, rela-  
 tionem, habilitatemque ad alia: ἀλλ' οὐχ ὁμοίως. Sed  
 non similiter, quod & rerum est, non unica enim tan-  
 tum est species Relatorum, sed sunt multæ. Et hoc re-  
 spectu res quæpiam absoluta dici potest, tam substan-  
 tia, quam accidens, si quando hæc Relatorum species  
 ad hanc vel illam χέσει accommodari nequit; ut Per-  
 sonæ, quarum una sit emtor, altera venditor, quia  
 hunc respectum erga se invicem non fovent, quo dici  
 possint pater & filius, vel Præceptor & discipulus,  
 dicuntur absoluta, sed tantum κατὰ τι, non ἀπλῶς: quia  
 non sequitur: res hæc ad illam respectum hunc non  
 habet. Ergò omninò omnibus alijs respectibus desti-  
 tuitur? Negatur; committitur fallacia παρατὸ τῆ καὶ  
 ἀπλῶς.

Plotinus lib.  
 1. Ennead. 6.  
 cap. 7.

Metaphys.  
 lib. 12. c. 10.  
 Metaphys.  
 l. 4. c. 66

Quamobrem  
 sam à Dn.  
 Phil. quæ-  
 dam dicantur  
 Absolutæ.

Materia est  
 in numero.  
 ἢ πρὸς τι.  
 Materia est  
 substantia. L.

Met. l. s. c. 15.  
Top. l. 4. c. 1.  
& Plotinus  
Ennead. 6. lib.  
1. cap. 6.

ἅπλως. Omnia igitur genera Relatorum probè sunt ponderanda & perpendenda, in quibus fieri non potest, quin res hæc ad aliam relata, ἁέσις habiliteret; retineat. Quicquid ergo ἐπισιτόν, illud Relatū. Omnes substantiæ sunt scibiles. E.

LXII.

Dum relata sunt ἑμᾶς φύσις, quædam sunt realia, quædam rationis; quædam æquiparantiæ, quædam disquiparantiæ; quædam ut quibusdā videntur, mutua, quædam non mutua.

LXIII.

ACTIO &  
PASSIO.  
Proclus.

Postquam igitur Essentia instrumentis etiam suis est instructa, ipsum opus aggreditur per Actionem & Passionem. Nam Actio, ut inquit Proclus, est potentiæ proles; essentia verò potētias ex se parit. Unde Actio est, secundum quam in id, quod subijcitur, agere dicimur. Est enim Actio accidens officiosum, quod Forma profert, dum potentiam activam opera voluntatis commutatam in suum actum, trudit foras. Nam agens ex se aliquid emittit: quod emittitur, est actio: Patiens recipit illud ab agente emissum: illudque in patiens receptum, Passio appellatur. Quare deprehendimus, Actionem esse quasi quandam rei ebullitionem, qua res supra seipsam aliquo modo assurgit: intumescit enim quasi, & fit per eam, quod ante non erat. Actio est duplex: Immanens & Transiens. Definitiones brevitatis causa omittuntur.

LXIV.

Met. l. s. c. 21.

Passio est Accidens officiosum, quo efficacitas externa conspergit materiam, dum Potentiam passivam opera voluntatis commutat in actum: vel, secundum quam in id, quod subijcitur pati dicitur. Estque duplex: τᾶ

λογῶν



λόγῳ, alia τῷ πρᾶγμα λόγῳ. τῷ λόγῳ passio est, qua manent  
termini patientis. τῷ πρᾶγμα λόγῳ est passio, qua mutan-  
tur termini patientis, vel inferendo, vel adimendo.  
Quemadmodum enim per Actionem res quævis vel  
corrumpit, vel agit: ita Passionis suæ beneficio, res  
quævis vel corrumpitur, vel generatur: est enim illa  
Passio quasi via quædam, qua ad generationem vel  
corruptionem devenitur.

Beatior  
Privatio

### LXV.

Postquam igitur tam essentialia, quam illa, quæ  
proxime & immediatè ab his dependent, prostant:  
sunt quædam, ipsum Compositum cingentia, & ad-  
nascentia, qualia sunt Ubi & Quando.

### LXVI.

Ubi vel in Loco esse significat loco circumscribi  
tùm naturam rei, tum eius actionem. Neque verò hic  
Locum Physicè consideramus, sed Metaphysicè, ab  
omni materia abstractum, nullamque rem singula-  
rem continentem, prout ab Aristotele in divina Phi-  
losophia tractatur. Est enim Locus Ens penetrans,  
quod exæquatur magnitudini materiæ illius rei, quæ  
sustinet.

Locus.

Met. l. s. c. 17

### LXVII.

Quando est circumscribi tempore rem aliquam  
& non tantum corpus corruptibile denominare: est  
enim duratio Formæ cuiusvis seu mensura. Unde ἡ  
οὐσία τῷ πᾶσι τεινόμενον τῆς οὐσίας τῷ κόσμῳ διάστημα. Forma  
enim rei sublata, tollitur etiam illa duratio rei, hoc  
est interrumpitur quasi, in quâ Forma hærebat.

TEMPVS.

Scholias  
Theocriti

Est

D. Schramus  
in explicat.  
organii Arist.

Est enim Tempus Ens penetrans, quod suis momen-  
tis recta serie orientibus & occidentibus metitur du-  
rationem Temporanei.

LXVIII.

Quamdiu ergo in re Forma manet, tam diu etiã  
ipsius duratio viget. Quapropter recte statuitur, Tẽ-  
pus ipsam formam respicere, quemadmodum Locus  
Materiam. Et hoc Aristoteles innuere videtur, quan-  
do ait: Tempus est mensura motus, &c. Motus autem  
est actio. Actio omnis est a Forma. E. etiam Tempus  
mensurat forma, aut ab hujus duratione denomi-  
natur.

LXIX.

D. Schramus  
ibidem.

Situs est ordinatio partiũ alicujus corporis in loco  
positi. Vel, τὸ κῆδος est qualitas locati nata ex ordine  
partium ipsius. Estq; duplex, naturalis & volunta-  
rius.

LXX.

Metaph. l. 5.  
cap. 23.

Habitus est genus eorum, quæ corpori & ijs,  
quæ circa corpus sunt, adjacent. Vel τὸ ἕχον ὄσιμ ἐνέργεια  
ἰσχυρὰ ἔστι τινος ἁπλῆς, efficacitas quædam quæ aliud quid-  
piam apprehendit. Modi Habendi apud Aristotelem  
in prima Philosophia recensentur, & de omnibus Pre-  
dicamentis dicuntur.

CORONIDIS LOCO QUÆ-  
RITUR:

*Vtrum Materia prima Metaphysica aliquo  
modo habeat formam?*

CHRISTO GRATIA.

Wittenberg, Diss., 1587-1612

ULB Halle  
002 392 011

3




TA → OL

VD17

Retrokonv.,







8

DISPUTATIO ARISTO-  
TELICA 1596 1

DE SVBSTAN-  
TIA ET ACCIDENTE  
EX METAPHYSICIS PO-

tissimum desumpta, Et in alma Viteber-  
gensium Academia publice  
proposita

a  
M. ELIA EHINGERO Augustano.

Respondente

IOHANNE HONTERO  
Coronense Transylvano.

Erit Disputatio ad diem XIV. Februarij in auditorio  
maiori Collegij no vi, horis matutinis.

WITEBERGÆ

Literis Wolfgangi Meisneri, cl. b. IVC.

